

R.H: 349, 21.

II n
3123

BREVIS DELINEATIO
VENATUS

X 1503477

Quem
Serenissimus ac Celsissimus Princeps &
Dominus

DN GEORGIUS
WILHELMUS,

Dux Braunsuicensis & Luneburgensis Dn. noster
Clementissimus, in sylvis Ducatus Calenbergensis
instituit, mensibus Augusto & Septembri.
Heroico carmine concepta

à
M. LAURENTIO CULEMANNO, P. L.
Cæs. Ecclesiae Nettelrodano in Præfessione
Leonoviensi,



HANNOVERÆ,
Typis GEORGII FRIDERICI GRIMMII
Anno 1564.



*Notissima
Wienheim
H. J. 9
Adm*

*Serenissimo ac Potentissimo Principi ac
Domino*

DN. GEORGIO WILHELMO,
Duci Brunsvicensi & Luneburgensi Domino
suo clementissimo.

Salve! Salve HEROS! salve Celsissime PRINCEPS,
Perfugium Templis, portus & aura Scholis.
Accipe gratanti Clemens mea carmina vultu,
Illaq; clementi suscipe quaeso manu.
Tu Musas constanter amas, carasq; tueris,
Officium sancti gnarus id esse ducis.
Cur igitur Te non redament, celebrentq; colantq;
Et sublime tuum nomen ad astra ferant.
Vive diu Dux longevâ dignissime vitâ,
Utq; diu TIBI sit vivida vita, precor.

Illustriss. Gell. V.

subjectissimus & devotissimus

M. Laurentius Culemannus.



Mphitryoniadis tergo qui sustulit orbem

Immensum, domuitq; feras, immania
versu,

Facta canant alii; numerisq; graviori-
bus ornent

Dulichiumve Ducem, mediis in fluctibus, alto
Per duo lustra mari vagus huc qui erravit & illuc,
Multa mari & passus terrisq; incommoda multa.
Me juvat exiguo VENATUM scribere versu;
Ergo quid Aonidum interea soror æmula cæptas.
Quid juvat aprico patulæ sub tegmine lauri,
Tarda quies? surge & melioribus utere pennis,
Alta pete atq; humiles jam dudum despice curas,
Ingreditor sylvam, ramisq; sub arboris altæ
Capreolos graciles, fulvas venabere damas,
Et lepores timidos salicum nemus inter amænum.
Ast labor hic magnus, magnusque hoc carmine cursus;

Proposi-
tio.

Tu mihi Christe Deus, vasti Deus arbiter orbis,
Cujus non frustra colitur venerabile Numen,
Imploratus ades, dextras mihi suffice vires,

Invoca-
tio.

A 2

Numine

Numine subveniasque tuo, calamumque gubernæ,
Tu vero HEROUm soboles, prægrandæque fulcrum
Imperii, Princeps, decus atque GEORG-GUILIHELME
Brunsuigicæ domus & vertex & fulgida stella,
Tu PROAVIS, ATAVISQUE potens; Est stemma vetustum,
Unde genus ducis, genus alto è sanguine Regum,
Da facilem cursum ac audacibus annue cæptis.
Sol qui flammiferis mundum complexus habenis
Volvis inexhausto redeuntia secula motu:
Splendide Phœbe parens, ampli lux publica mundi,
Mundi oculus, vitæ pater & fons lucis origo
Purpureæ, per quam cœli convexa tuemur
Discussis tenebris, tu certâ errantia lege
Sidera, Rex medius, mirâ ratione gubernas;
Tu lucis, noctisque vices, tu frigus & æstum
Omnia tu miti, ceu temporis auctor & anni,
Temperie motuque regis, moderamine certo
Sparge diem meliore coma crinemque reperi
Blandiùs elato surgant temone jugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem,
Expectata diu jam tandem gaudia portas.

Vos ô quæ gelidos saltus umbrasque viuentes,
Gratorum nemorum, quæ roscida rura Napeæ
Najades colitisque hortos & flumina, Musis

Cognita

Cognita! Quæ colles lætos flaventiaque arva
Curatis, quò vitetis nunc sideris æstum
Ferventis, mecum hac fessæ requiescite in umbra,
Et vigili patulos indagine cingite montes!
Vos Dryades pulcræque DUCI nova texite lerta,
Emolli violâ è ferrugineis hyacinthis;
O Musæ simul & sociæ prosperate Camœnæ
Per virides lucos, perque avia lustra ferarum,
Non hic Pierii cantus, non carmina desint,
Advertante DUCE! en summis jam collibus offert
Sese læta Diana ferens pia nubila plausu.

Jamque rubescebat radiis circumfluus æther
Sol rutilo rosisq; rotis fulgebat olympto,
Et vigil interea nitido patefecerat ortu,
Purpureas aurora fores & noctis aquosæ
Lampade subdubiâ nigras disjecerat umbras,
Dispuleratq; polo stellas, quarum agmina cogit
Lucifer, atque diem veniens prænunciat alnum;
Mollibus è stratis se matutinus agebat
Illustris DUX HANNOVERA exit sidere fausto
Venatum, simulac unâ delecta juvenus,
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Quin multiq; ruunt equites, & odora canum vis,
Innemus ire parant, saltusq; indagine cingunt.

Narratio.

A 3

Stat:

gnita

Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit,
Indomitusq; fremit, generosaq; colla reflectit,
Exacuit bilem contorto verberare caudæ
Mox immane furit, mox vires colligit omnes,
Arduus auratis phaleris exasperat aures,
Accipit & pulchros cultus, & crine superbus
Erecto, fulvum spumis perfundit & aurum
Luxuriat tumido gemmata monilia collo,
Nobilis auratos mox purpura vestit & armos.
Tandem progreditur magna stipante caterva
Nobilium, PRINCEPS, clari multiq; potentes
Magnates, virtute viri illum ritè sequuntur
Et servi & famuli fidi stipantq; frequentes
HEROEM magno strepitu, fulvoq; nitentem
Auro, splendentemq; armis, gemmisq; coruscum.
In sylvam postquam nunc vectus Dux GUILIELMUS
Pervenit ad montes altos ac invia lustra
Tunc trepidant alæ, nemoraq; indagine lustrant:
Ecce feræ saxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis: aliâ de parte patentes
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulentâ fugâ glomerant, montesque relinquunt;
Ast ubi venator deprensi viscera cervi
Quem clamore premens, canibusque ad retia pulsum

Stravit

Stravit humi multo fundentem sanguine vitam,
Eugè, Eugè, ingeminans canibus partitur anhelis,
Illi inter sese certantes rapta revellunt,
Mordicus & rostro discerpunt frustra cruento,
Obnixe ardentes villisque horrentibus urgent.
Sunt latebræ & saltus variarum & lustra ferarum
Digna cani, & colles passim venatibus apti;
Quos longè repleas inflatis cornibus acer
Latratuq; canum quoq; motu & vocibus altis:
Jam cuicumque placet studia exercere DIANÆ
Adsit & imbellem damam, capreasque fugaces
Venari poterit toto lætissimus anno,
Sunt etiam sylvæ, quas ingens pondere septum
Cingit, ubi lepores, vulpes, fulvæ capreæque
Agmina cervorum ramosa gerentia fronte
Cornua ibi magno numero studio capiuntur,
Hic est frondosus lucus venatibus aptus,
Hic juvat æstivos ortus vitare sub umbra,
Hic venatores feriunt rigidosque luposque,
Atque student pavidis prætere retia cervis,
Ac duro spumantem aprum prosternere ferro.
Quin alii valles solerti indagine lustrant,
Atque canes diris flagrant latratibus ipsi.
Et simul immanes ursi, immania monstra,

Hind

Hinc dantur letho sylvis habitantia amoenis;
Idcirco nunc conspicuus venatus amoenus
Et sylvæ illustres recreant indagine curas,
Nam validi venatores hic ardua sylvæ
Lustra petunt, canibusq; feras sectantur agrestes.
Hic vestigatus pavidis expulsus ab umbris,
Per saltus & opaca loca, umbrososque recessus,
Per dumeta, fugit ramosus cornua cervus
Implicitusve plagis, campove agitated aperto,
Non fallente manu celeri transfigitur ictu.
Capreolusve levis saltu superare præalta
Retia molitur, celeri retrahente molosso,
Aut dentatus aper devastans roscida rura
Conclusus lustris, multis latratibus actus,
Tandem illum figit venator cuspide acuta.
Quin etiam nemorū studiolsus tempora quercu
Cincta gerit, latoque tenens venabula ferro,
Aut cervos aut figit apros, comitantur euntem
Riphæique canes, armillatique molossi;
Impiger ex humeris pharetram suspendit & arcū
Solerti que altos cingens indagine montes
Militat in sylvis, rigidisque irascitur ursis,

Et

Et foribus rictus præfiget & horrida terga. (tē
Surgere quādo solet, tunc hunc comitantur eun-
Asterion, Laconq; canes : ille undique ramis
Ilice decisis altâ prope flumen amænum,
Tela sagittiferis suspendit clausa pharetris,
Et picturatos, famulus quos gesserat, areus
Subligat, & jacula & pedicas, & tortile cornu.
Ut lepores timidos hirsuto vepre latentes
Præteream, quos turba canū circumsona profert
Æstus erat, mediusq; dies, & fessa per omnes
Captabant valles animalia frigus opacum,
Alituumq; genus, ripæque, amnesque filebant;
Interea molli residens in gramina Princeps,
Post requiem surgit nemora inter frondea lustrat
Per viridos saltus, perque avia lustra ferarum
Incedens, Dryadum secretos audit amores,
Atque per umbriferæ nemorosa cacumina sylvæ
Setigeros prosternere apros sylvisq; vagantes
Æripedes cervos, urfosq; agitare feroces,
Et lepores pavidos & fulvo tergore damas,
Impendit curasque feras tum captat agrestes.
Ante DUCEM vero clangebant æra tubarum
Cum quibus & rauco castrensia tympana pulsu

B

Mota,

Mota, dabant sonitumq; fremebāt omnia plausu,
Dulcia vivifico sonuerunt cornua cantu,
Buccinaq; insonuit quoq; fistula concava blanda.

Jamq; dies cœlo cessit, quò nocte rubentes,
Cynthius intorquet currus, orbemq; relinquit,
Et pater hesperio flagrantem gurgite vultum
Abdiderat, Titan aliis rediturus ab undis.

Tunc dicebat PRINCEPS Clementissimus HEROS;
Vesper adest famuli nodosa refrigite lina,
Humidaq; ad Boream suspendite, non benè lunæ
Creditur hoc primum: sed cum prænuncia lucis
Fulserit exoriens aurora, revisite sylvas;
Nam mihi nocte magis latos obsidere campos,
Insidiisque placet dumofas claudere valles,
Cum terræq; fretumq; silent micat Arcadis Ursæ
Sidus & argutis circum tremat ignibus æther.

Tandem castellū ingressus venerabilis HEROS,
Venatu longo, fessusque ambage viarum,
Componit lecto corpus precibusq; serenis,
Seque suasq; vias toto de corde Jehovæ
Comendat, placidamq; petit per membra quietē.

Postera vix cœlo stellas dimoverat Eos,
Sidereus nitido radiabat lumine Titan,
Et jam protulerat totum sol aureus orbem Con-

Conspicuoq; diem revelabat clarior axe.
Tunc PRINCEPS animo per noctē plurima volvēs,
Ut primum lux alma data est; en exiit illinc,
Nec mora; conscendit suctā gravitate caballum,
Mane novo densos saltus, sylvasq; virentes
Ingreditur, passim resonant arbusta canoro
Garritu volucrum & variæ concentibus aure,
Hic ignota viret platanusque, hic plurima Pinus
Nascitur, hic abies patuloque cacumine fagus,
Pomus ibi atq; pyr^o, Dryadū domus ardua querc^o,
Atq; eadem quoq; sacra Jovi coryliq; nucesq;
Fraxinus & cerasus curvataq; glandibus Ilex,
Ornus Juniperus, I axus philcræque frequentes,
Betula & in coelum cono exporrecta cupressus,
Et virides piceæ, tiliæq; fragrantibus auris.
Mille avium species implebant murmure sylvā,
Et liquidum vario feriebant æthera cantu.
Hic cervi timidi passim, capreæq; fugaces
Æstivum viridi captabant frigus in umbra.
Ad Ducis adventum gaudebant frondea rura,
Gaudebant sylvæq; leves in montibus umbræ
Ipsæ convalles, ipsa hæc arbusta sonabant
Et montes colles virides assurgere certant.

Fictio.
poëtica.

Gaudebant undæ gaudebant Naides undæ
Spirabant tenues Zephyri, blandæq; volucres,
Dulcissimo cantuque DUCEM Dominumq; salutant.
Ad DUCIS adventum croceis jam florida bigis
Invehitur CHLORIS roseo nitidissima vultu
Illius aureoli pendent è vertice crines,
Purpureo ornati violæ florentis honore:
Fons, oculiq; nitent radiis & luce serena:
Lilia mixta rosis malas & tempora pingunt:
Labra venustatis rident perfusa lepore:
Palla viret variis distincta coloribus; Ecce
Spargit humi varios, fertur quacunq; colores,
Quaque movet gressus surgunt violæq; rosæque,
Coriique croci, atque immortales amaranthi,
Candida nec niveis costura ligustra pruinis,
Ipsæ etiam Charites socio simul agmine fundunt,
Certatim illa thymum, roremque & molle cyperon,
Hæc casias, calthasque, hæc & vaccinia nigra,
Narcissi & lacrymas, hyacinthi & nobile gramen
Et thymbra & quot nunc tellus fert dædala flores.
Has inter succincta sinus, redimita papillas,
Et roseum spirans fragranti vertice odorem,
Errat nuda genu per florida prata DIANA,
Cui volitant flavi per candida colla capilli,
Ad frontem aurato religat quas fibula nexu,
Hæc lætatur, lætanti risusque jociq;

Affili.

Affiliunt somniq; leves & mollior aer;
Ver halat Zephyris mulcent spirantibus auræ;
Incustoditæ ludunt per gramina Nymphæ,
Otia cantantes promat ignava camæna.
Naiades hîc Dryadesq; habitant, & sole cadente
Annosam circum quercum ramosq; comantes
Instituuntque choros vicino & fonte levantur,
Ipsa VENUS nitido texebat pollice sertum,
Ac niveis virides miscebat floribus herbas;
Quas neque contigerant immitis frigora brumæ,
Fervidus ardent i neque sol exusserat igne.
Formosæ summis de montibus undiq; MUSÆ
Conveniunt, secum cœlestia dona ferentes
Ambrosios succos, gemmas, pretiosaq; ferta,
Aurea vernanti surgebant lilia campo,
Sparguntur passim è calathis violæque rosæque,
En quoque mille ferunt niveæ sua ferta puellæ,
Serta auro intertexta & ramiferisque corallis,
En totidem cois bacata monilia gemmis,
Fulva auro variata smaragdo & jaspide tecta,
Cujus nexa sonant pino conchylia limbo.
Quin & Pieridum chorus apparat omnis honores,
Hunc Dryadesq; colunt, hunc jam venerantur, amantq;
Nymphæ, quin virides cantant per prata Napææ,
Depositâq; ipsi Faumi feritate bicornes,
In sylvis resonant Musas, Phœbum atque Minervam.

Imis argutus redit è conuallibus Echo?
Inque altis cantat sylvis revolubilis Echo?
Et vivæ reboant sylvæ, montesque resultant;
Ipsæ autem saliunt pecudes & cornua tentant,
Lætæ agitantque jocos: pars dulcia pabula carpit,
Pars procumbit humi, celsas pars arrigit aures
Immemor herbarum & miratus carmina secum;
Floribus omnigenis tellus arridet eunti,
Atque simul virides ludunt armenta per herbas,
Rupes & montes imis dant signa cavernis
Lætitiæ cantuque DUCEM Dominumque salutant.
Nec mora mirifico statim clangore tubarum,
Antra resalutabant latè collesque fremebant,
Et Nymphæ junctis manibus per rura choreas
Lætæ agitant, agitant plausus & júbila in ipsis
Sylvis, Sylvani bibuli, satyrique jocos.
Consonat omne nemus strepitu risuque soluto,
Vicini colles grato clamore resultant,
Carbasa plena volant Zephyri spiramine blando.
Denique gratantes venti, vallesque recurvæ
Plauserunt, plausere auræ, plausere volucres,
Formosæ Veneres illic & Phyllides errant.
Omnis Hamadryadum chorus & blandæq; Camenæ
Plaudunt & virides densant umbracula quercus,
Inflatisq; leves Fauni modulantur avenis
Carmina, moxq; DUCI gratantur ovariantibus undis.

Lataque

Lætaque se vario tellus hic flore coronat,
Arboris & densæ præbent umbracula frondes,
Mille voluptates aliæ sunt commoda mille
Sylvarum: blandi strepitant in frontibus Euri,
Et Zephyri flatu grato, tenuiq; susurro
Invitant somnos & delectamina præstant,
Et vos montivagi pastorum numina Panes
Et nemorum colitis qui resqua virentia Fauni
Et vos monticolæ tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, celsi viridantia DEISTRI
Rumpite & HEROI lætum pæana canentes,
Præcipitate moras omnes, rubet aurea phœbe,
Cingite Io frontem ter Io sacra cingite lauru
Tempora ruricolæ myrtho pimpleide crines
Nectite hyperborei diffusos turbine flatus,
Laudisonis molles plectris cytharæq; sonoræ,
Nunc aptate manus, numerisq; sonantibus ora,
Plaudite Mnemosynem, frontes adducite lætas,
Thespiades Musæ dulces modulaminor hymnos,
Atque Duci Illustri date dulcia munera laudum.
Jubila Melpomenes gratissima fundite gratæ,
Hinc psallat Cleio, dulcis Polymnia cautu,
Atq; Duci tribuat nunc carmina docta Thalia;
Et vos DEISRIADES pia carmina dicite MUSÆ,
Vos HALLERBROCENSES carmina pangite MUSÆ
NET TELBERGIACÆ vos carmina fundite MUSÆ,

Vos

Vos SOLLINGENSES pia carmina ducite MUSÆ,
Vos LINSBURGENSES pia carmina necite MUSÆ,
Plaudite vos pueri teneri, vegetæq; puellæ,
Quin etiam variis de collibus undique MUSÆ
Spargite humum teneris viridantia floribus arva,
Idaliasq; rosas & vivaces Amarynthos,
Et Menthas molles & odoriferas calaminthas
Ambrosios succos virides herbasque Thymumque.
Et quoque fragrantis rores, panchæaque thura
Promite veris opes, calathis effundite plenis
Lilia, pallantes violas, herbasque sacratas;
Et patrias terrasque novo candore serenent
Purpurei soles & amicæ splendida lunæ
Sidera: tum mites auræ, ventique salubres
Purgabunt latè corruptas aëris oras.
Et simul ad LEINÆ vada fluminis aurea surgunt
Citrea odoratis pendent mala aurea ramis;
Ecce DUCI roseis se punica floribus arbor
Induit & virides densant umbracula Lauri,
Omne genus florum sequitur roseæ violæque
Quod color egregius nec non fragrantia suavis
Atque odor insignis commendat & inde repleta,
Percipiunt patulæ nares & lumina nostra
Gaudia, sollicitam interdum recreantia mentem.
Ad DUCIS adventum surgunt quoque gramina multa
Plantago, origanum, Narcissus & oxitriphillon

Thym

Thymbra, Thymus, Smilax, hyacinthus, Amarac⁹, ulva,
Anthemis, Euphrasæq; simul, circa, nigella,
Tormentilla, minor Belis, majorq;, Lavendula, mentha,
Salvia, Serpillum, Scolopendria, carriophylla,
Parvula convalles depresso lilia complent,
Candida, odorata & vario medicamine nota,
Et florum vario fulgens regina colore
Pubescit ROSA, plantarum decus annua terræ
Gloria, florum oculus, rubor horti prima voluptas
Languentis cerebri, situs telluris amænæ.
Inclyte flos, rosa, tu foliisq; nites ô inclyta salve,
O florum Princeps & mensis filia Junl.
Sed neque jam cyanus, nec pseudomelanthion agris
Deficiunt: hoc sanguineo spectabile limbo;
Ille autem cœli, quando est sine nube, colore
Conspicuis, gratusque oculis: sic lilia sylvas
Purpureis ornant maculis distincta, nec hortis
Corniculata aquileia deest & cærulea flore;
Arva Chamæmelum & miniatum eranthemon implent
Et Calthæ flave spirant & sidus agrorum
Hortorumq; decus se pæonis herba rubentem
Induit in florem, cujus cum murice certant
Stamina, luteolique apices aurumve crocumve
Exuperant fulgore rosæ; lanugine tectis
Folliculis siliquæ grana insunt æmula cœco,
Sed Lybicas aliquis citius numeraret arenas,

6

Et

Et LEINÆ fluctus, flavi Vefarisq; procellas
Quàm genera herbarum, quod multis nomina verbis
Enumerare queat simul ullo effingere versu.

Nunc fere tempus erat quo DUX comitante caterva
Innumerâ, famulis multis, moxibat ad urbem,
Quæ læto ridebat ovans HANNOVERA vultu;
Ad plateas mox turba ruit, pars fixa fenestras
Occupat, illustrem comitatum cernere gestit,
Pars limen tenet & venientem expectat ocellis,
Pars aciem glomerans fulgentia suscipit arma,
Loricamque capit, stellatosq; induit enses,
Et vexilla manu regit atque per æthera vibrat.
Pars & bombardas onerat imitata Tonantem
Sæpe Jovem, medias ad nubes horrida mittit,
Fulmina & æthereas jaculatur tela per auras.
Arcem est ingressus PRINCEPS Celsissimus HEROS,
VENATU dulci lassusque ambage viarum
Aurato & pulcro ponit sua membra sedili,
Quo revocet modò languentes in pristina vires;
Magnifici Domini variataque jubila miscent.
Buccina clara strepit, tarantara clangit acuta,
Aëreasq; gravi sonitu citò verberat auras,
Adventumque DUCIS signo prædicit aperto.
Et jam permensus cœlum sol occidit & jam
Montibus è celsis majores suscitatur umbras
Obscuratque ignes stellarum Luna minores.

Nox

Nox ruit & placidos jam suadent sidera somnos
Jam secura quies lethea papavera quassans
Aëris immensi tractus & proxima lunæ
Regna tenet, pelagique sinus terrasque jacentes
Et volucrum genus omne silet, genus omne ferarum,
Somniaq; humanas solantur inania curas.
DUX sedet accumbens mensæ regaliter unus,
Quem Proceres magni, præstolanturq; frequentes,
Atque simul mediis parent convivia tectis:
Convenère omnes strato discumbere in OSTRO
Deliciis jussi & dapibus se inferre futuris,
Stant oneratae epulis mensæ: stant aurea circum
Pocula cum pateris: convivæ vina coronant,
Ast fidi puras lymphas pro more ministri
Dant manibus, totasque tenaci vellere siccant,
Atria imaginibus pictisque ornata tapetis,
Intus fulgentique nitent auro atque argento:
Illic mille scyphi, gemmataque pocula stabant,
Pondere vasta gravi, variis cælataque signis
Pulcrius Arcadici quàm fagina pocula coloni:
Miranturque dapes & regia fercula cœnæ.
Non ibi cæpa rubens, fumoso coctaque lardo
Rapa, vel instructas onerabat brassica mensas?
Sed caro nescio quæ! panchæi cinnami odorem
Latè diffundens: hinc lancibus ora ferarum,
Hic capita immani stabant & hiantia rictu.

Cœna
Principis
Illus.

Antè preces recitat puer & pro munera grates
 Accumulat, laudatque Deum qui talia terris
 Educat, pascitque homines tam divite dono.
 Post & confidunt mensis, lætiq; paratis
 Vescuntur dapibus, vinumque & pocula libant,
 Ordine athena locant alii, flammisque ministrant
 Pars calidos latices veribusque trementia figunt,
 Cervorum terga & pingues cum matribus hædos:
 In medio stat Sarconomus cultroque decentes
 Frangit & appositas convivis dividit escas:
 Pars quoq; munda ferunt tonsis mantilia villis,
 Pars apulis onerant mensas, cereremq; canistris
 Expediunt, tostam carnem, pinguemque ferinam.
 Supponunt alii cultros, vinumque ministrant,
 Craterasque replent: tum læta fronte ministri
 Innumeri magno distinguunt ordine curas,
 Pocula pars miscet, nunc hac nunc volvitur illoc,
 Turba frequens varios miscentq; per atria motus.
 Ante oculos, interq; manus sunt mitia poma;
 Vescuntur variisque beant convivia verbis
 Ingentes tollunt animos & gaudia fingunt
 PRINCIPIS & cytharæ resonat concentibus aula.
 Pamphagus & Dorceus & Trux cum Lalage Theron,
 Actæonque sagax & pingui ab domine Fassan,
 Ore canes præconciunt hæc gaudia mensæ,
 Expectantque gulæ si fors gallina voraci,

Canes ve-
 natici.

Seſe

Sese affata ferat, vel præmia certa laboris
Asportent leporis crates aut tergora cervi,
Præsentemq; famem nudo solantur odore,
Ni fors objiciat fragrantia fercula naso,
Tum capit ore cibos citius, quàm sæpe capistro
Inflatum quis spectat onus atque aëra pullat,
Sic docuit natura canes, quod sedula vix dum
Post multos annos aliàs industria firmat.

Postquã exempta fames & amor compressus e
Incipiunt horas multas traducere fando, (dendi,
Et pateras magnas statuunt, Bacchūq; ministrāt.
Jam litui, cantusq; sonant domus ampla resultat
Lætitiâq; fremunt ædes ut júbila in ipsis
Et pulsata tonant tibicine tympana misto,
Lætus & auditur concentus in arce tubarum
Ærea blandifonâ raucedine cornua clangunt,
Blandaq; ludentes modulantur carmina plectris;
Tum verò celeri testudine doctus Iopas
Personat, ingeminans cantū modulante catervâ,
Innumerisq; sonis & vocibus æthera rumpit.
Talibus atque aliis inter se longa trahebant
Tempora, tunc murmur lætæq; per atria voces
Alta sonant, strepitu ingenti tectū omne repletur

Dant lucem flammæ & læto splendore coruscant.
Tandē Dux surgens lecto sua membra recondit,
Auratis recubans stratis pictisq; tapedis,
Ipsū Magnates cytharâ resonante sequuntur.
Nunc fessos abiens mox gurgite merfit Ibero
Phœbus equos, tenebrasq; die fugiente reduxit;
Illustrissimus ergò Dux suadentibus astris
Concupit, placidumq; petit per membra soporē;
Ast ubi mane novo roseos pulcherrimus ortus
Lucifer extulerat, solisq; reduxerat æstum,
Haud mora surrexit PRINCEPS sacra, templa fre-
quentata

Seque suosque omnes puro de corde Jehovæ
Commendans grades solvit precibusq; serenis.

Conclu-
sio.

Nunc justum & æquum est ut claudam carmi-
na voto.

Precatio.

O tu summe PATER, FILI dulcissime JESU,
Tuque sacrum FLAMEN nostris succurito rebus;
In primisq; DUCEM clementem NUMINE nostrum
Protege ab adversis simul eripe & assere rebus;
Dux hic noster AMOR, Dux hic insigne fororum
Thespiadum columen, Dux hic tutamē honoris,
Quem castis studiis Charites Musæq; merentur.

Dux

Dux hic solamen miseris, requiesq; camænis.
Hoc Duce jam terris redeant saturnia regna,
Pax terrasq; solumq; regat camposq; jacentes,
Pacis amica Ceres ingenti obnubat amictu.
Blanda q; tranquillās foveant nunc gaudia men-
Diffugiatq; nefas belli claudantur iniqui (tes
Templa, nec insidias metuat robustus arator,
Et se virtutes sua per vestigia volvant.
Cana fides, pietasq; viris qui jura repositunt.
Certa ferant, dubiosq; animos constantia firmet.
Sic placeat superis sic jam surgentibus astris
Inclinent sese sortes, & vota sequantur
Fervida; sic felix patrias dominare per oras;
O Dux magne Pater Patriæ, tua GLORIA VIVET
Dum juga montis aper, dum flumina piscis ama-
bit,

Dumq; thymo pascetur apis, dum cochlea rore;
Donec in occasum roseo volventur ab ortu
Sidera, donec erunt latices Aganippidos undæ.
Inclyte Dux nostris succurrito rebus egenis,
Maeste animi pietate tui fortissime PRINCEPS.
Te Patrem Patriæ tellus CALENBERGICA dicit,
Illustris nunquam tali de germine PRINCEPS.

Deficiat

Deficiat, crescant redivivi floris honores,
Et folia æternis non marcescentia seclis,
Certè nunc omni celebrabitur ore GEORGUS
Semper honos & nomen erunt laudesque GEORGI,
Optabit populus felicia regna GEORGO
Et colet ut cœli missum è regione GEORGUM:
O præstans animi Princeps divine GEORGI,
Sospite Te sospes sit patria terra GEORGO,
Hoc omnes petimus repetito carmine FIAT,
FIAT, vos FIAT, mecum geminate FAVENTES.

F I N I S.



R.H: 309, 21.

BR

Seren

DNO
W

Dux Braun
Clemen
insti

M. LAU
Caſ, E

Typ

Not h/ſſite
Wing

ATIO

1903472

ceps Es

GIUS
US,


ſis Dn. noſter
lenbergens
embri

NNO, P.L.
ſeſtione



IMM

Dn. H. J. 9
y
Aum



KODAK Color Control Patches

Kodak
LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

